

*natura cum ordine actionum, & passionum mentis.* Hic possumus videre, cur motus in corpore & cogitationes in mente, licet unum alterum non producat, semper concordent. Vidimus itaque cuncta hæc dogmata Cartesiana in solo Spinozismo fundari, atque ex ea omnem suam veritatem, si quid veritatis haberent, atque virtutem mutuare. Sed & hoc sicco pede præteriit Vir Cl., quapropter plura exempla non adducam; sufficient hæc specimina ad demonstrandum multa Cartesii Philosophemata omne suum perfectum stabilimen a Spinoza arcessere debere.

### Caput IX.

#### SUMMARIUM.

*Cartesius, utpote mendax & fallax, contrarium quibusdam in locis statuere visus nullam meretur fidem. I. Ejus quædam fallaciæ specimina adducuntur; & primum de motus definitione, quantitate eadem, & transitu. II. Secundum, de differentia inter infinitum & indefinitum. III.*  
Ter-